

Probl. X.

CAPITA VARIATIONUM UTILIUM AUT INUTILIUM REPERIRE.

Capita in univ^{er}sum reperire expeditum est. Nam quaelibet res per se, aut in quocunque loco per se, aut cum quacunq; alia aliisve, quocunque item loco cum alia aliisve, breviter omnis complexio aut variatio proposita minor & earundem rerum, seu quae tota in altera continetur est caput. Methodus autem in disponendis capitibus utilis, ut a minoribus ad majora progrediamur, quando v. g. propositum nobis est omnes variationes oculariter proponere, quod Drexelius loco citato Puteanus & Kleppsius & Reinorus citandis facturarunt. Caterum **ut Capita utilia vel inutilia reperiantur**, adhibenda disciplina est ad quam res variandae, aut totum ex iis compositum pertinet. Regulae ejus inutilia quidem elident, utilia vero relinquent. Ibi videndum quae cum quibus & quo loco conjungi non possint, item, quae simpliciter quo loco poni possint v. g. primo, tertio, &c. In primis autem primo & ultimo. Deinde videndum quae res potissimum causa sit assmaliae (v. g. in versibus hexametris protetis syllabae breves) Ea ducenda est per omnes ceteras, omnia item loca, si quando autem de pluribus idem judicium est, satis erit in uno tentasse.

no

Probl. XI.

VARIATIONES INUTILES REPERIRE.

Duae sunt viae (1.) per probl. 12. hoc modo : inventae summa variationum utilium & inutilium per probl. 4. subtrahatur summa utilium per probl. 12. viam secundam ; Residuum erit quaesitum (2.) absolute hoc modo : Inveniantur capita variationum inutilium per probl. 10. quaerantur singulorum capitum variationes per probl. 7. si qua capita communes habent variationes per probl. 9. numerus earum inveniatur per probl. 8. & in uno solum capitum variationes Communes habentium relinquatur, de ceterorum variationibus subtrahatur ; aut si hunc laborem subtrahendi subterfugere velis, initio statim capita

mitte